



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Concilium Saltzbvrgense In Cavsa Disciplinae Ecclesiasticae tempore  
Pilgrini archiepiscopi celebratum, anno Domini MCCCLXXXVI. sub Vrbano  
papa VI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

150 V R B A N V S C O N C I L I V M V V E N C E S L A V S  
P. VI. I M P.

velitis fidem indubiam adhibere. Datum Romæ apud  
sanctum Petrum secundo Idus Iunii , pontificatus nostri  
anno secundo.

CONCILIVM SALTZBVRGENSE ANNO CHRISTI  
1386.  
IN CAVSA DISCIPLINÆ ECCLESIASTICÆ  
tempore Pilgrini archiepiscopi celebratum;  
anno Domini M C C L X X X V I .  
sub Vrbano papa VI.

T I T V L I C A P I T V L O R V M .

- I. *De modo dicendi horas canonicas.* & eorum rerum , ab impositiō-  
nibus facyularium dominorum.
- II. *De absolutionibus impenden-  
dis.* X. *Contra vilipendentes senten-  
tias excommunicationis.*
- III. *De abutentibus indulgentiis a  
superioribus super absolutioni-  
bus conceſſis.* XI. *De publicatione constitutio-  
nis Bonifacii VIII. contra re-  
cipientes pedagia a clericis.*
- IV. *De modo absolutionis impen-  
denda in casibus dubitabilibus.* XII. *De occupatoribus beneficio-  
rum & eorum bonorum.*
- V. *De habitu clericorum.* XIII. *De usurariis & eorum pa-  
nis.*
- VI. *De eodem, & differentia habi-  
tus maiorum ab inferioribus.* XIV. *Ne clericci conueniantur co-  
ram secularibus iudicibus.*
- VII. *De munda conseruatione  
rerum & vasorum diuino cul-  
tui deputatorum.* XV. *Ne ignoti presbyteri admit-  
tantur ad diuina.*
- VIII. *Ne mendicantes admittan-  
tur sine diaecsanorum licentia  
& testimonio literarum.* XVI. *De notariis publicis.*
- IX. *De immunitate clericorum ,* XVII. *Vt episcopi , prelati & re-  
ctores habeant quæstiones sigil-  
latim.*

HÆC SVNT INSTITVTA DOMINI  
Pilgrini archiepiscopi Saltzburgensis , apostolicæ sedis legati ,  
publicata in prouinciali Concilio Saltzburgensi , anno Domini  
M C C L X X X V I .

P R A E F A T I O .

**A**d laudem & honorem ac gloriam nominis Dei , ac  
salutem dominici gregis nobis commissi : Nos Pilgri-  
nus Dei gratia archiepiscopus Saltzburgensis ecclesiæ , a-  
postolicæ sedis legatus , Ioannes Gurzensis , Fridericus  
Chiemensis , & Ioannes Secouiensis , ecclesiarum episcopi ,

V R B A N V S   S A L T Z B V R G E N S E .   V V E N C E S L A V S   I S T  
P. VI.   I M P.

A N N O  
C H R I S T I  
1586. vna cum aliis venerabilibus patribus ac procuratoribus suis, ac coepiscoporum nostrorum, & quorumdam aliorum prælatorum præsentium nobiscum in hoc sacro provinciali Concilio residentibus, ad correctionem excessuum & reformationem morum diligent ac matura deliberatione præhabita, infra scriptas constitutiones edidimus salubres & utiles, iure fundatas, æquitati consonas, & per quas subditorum seruatur honestas: quas per locorum ordinarios prælatos, archidiaconos & alios ecclesiærum rectores per totam nostram prouinciam publicari, & sub poenitentiæ in eis contentis præcepimus in uiolabiliter obseruari.

## C A P I T V L A.

### I.

Quia, vt accepimus, clerici diuersi diuersimode in horis canonicis & diuinis officiis diuersum psallendi tenent modum contra canonica instituta: volentes igitur huic morbo remedium apponere opportunum, districte præcipimus, vt ab omnibus & singulis clericis sæcularibus in psallendo idem modus & ordo in diuinis officiis & horis canonicis obseruetur, ita quod unusquisque in hoc suæ cathedrali ecclesiæ, siue fuerit regularis, siue sæcularis, rationabiliter se conformet. Si quis huius constitutionis transgressor extiterit, per loci ordinarium, vel archidiaconum, canonica monitione præmissa, ab ingressu ecclesiæ suspendatur. Religiosos vero in suis rationabilibus obseruantibus volumus remanere.

### II.

Sanctione præsenti sub interminatione maledictionis æternæ districte prohibemus, ne aliqui majori excommunicatione nodatos, aut suspensos,

vel in homicidio , furto , sacrilegio , falso testimoniō , periurio , incestu , instrumentorum & literarum falsitate , & aliis casibus sedi apostolicæ , vel nobis specialiter , vel nostris suffraganeis , aut aliis competentibus iudicibus reseruatis , quacumque præsumant absoluere , vel vota commutare . Quod si quis fecerit , ab officio suspendatur , donec pro superiorum arbitrio satisfaciat competenter .

## III.

Cum interdum tam a sede apostolica , quam ex speciali indulto , plerisque gratiōe concedatur , vt in casibus superioribus reseruatis cum sibi subditis dispensare , ac eos absoluere , eisque pro modo culpæ pœnitentiam iniungere valeant competentem .

Verum , quia nonnulli indulto huiusmodi abutentes , pœnitentias huiusmodi in pecuniarum proprium & bursalem quæstum vertunt : Nos igitur attendentes , quod priuilegium meretur amittere , qui concessa sibi abutitur potestate , decernimus , huiusmodi indulgentias a nobis concessas vel in posterum concedendas , post huiusmodi abusum esse nullas , vacuas & inanes : declarantes etiam absolutiones , quas tales abutentes impenderint , similiter fore nullas . Abutentes quoque eo ipso suspendimus a diuinis , donec pro qualitate culpæ absolutionis beneficium a suis superioribus meruerint obtinere .

## IV.

Volumus , & omnibus ecclesiarum rectoribus districte præcipimus , vt in casibus dubitabilibus præcipue periculum vel salutem animarum concer-  
nenti-

ANNO  
CHRISTI  
1586.  
nentibus, ad superiorem recurrent confidenter;  
vel saltem peritiores, vel sapientiores studeant su-  
per his diligenter requirere. Quod si non fecerint,  
& ex eorum incuria vel negligentia periculum ali-  
quod emerferit, graui subiaceant vltioni.

V.

Quoniam per decentiam habitus extrinseci o-  
portet clericos intrinsecam morum honestatem o-  
stendere, districte prohibemus, ne aliqui clerici si-  
ne capucio capit is, bireto, cappello vel pileo coo-  
perto in ecclesia, seu alias in publico præsumant in-  
cedere, cum hoc honestatem non deceat clerica-  
lem. Quod si quis contra fecerit, per superiorem  
acriter puniatur.

VI.

Canonica testatur auctoritas, quod ex maiore  
decore & maioritate ornatuum apparere debeat  
majoritas dignitatum. Hinc est quod firmiter in-  
hibemus, ne clerici in publico vtantur \* vario, vel  
illud deferre præsumant, nisi in dignitatibus fue-  
rint, vel canonici ecclesiarum cathedralium, vel  
in gradu magisterii scientiæ literarum fuerint con-  
stituti. Adiuentes quoque, ne ipsi clerici, maxi-  
me non beneficiati, cincturis, corrigiis, aut peris  
auri vel argenti ornatum habentibus vtantur, aut  
etiam veste, vel alio habitu indecenti.

VII.

In plerisque ecclesiis mappæ, pallæ altaris, cor-  
poralia & alia vestimenta, ac vasa diuino cultui de-  
putata, tam inulta, tam immunda relinquuntur,  
vt interdum quibusdam sint horrori, contra statu-

Concil. Tom. 29.

v

tum Concilii generalis. Et licet alias super his  
tam a viris , quam a legatis sedis apostolicæ , quam  
etiam a nostris prædecessoribus satis utiliter sit pro-  
uism : Nos vero repetitis eorum constitutioni-  
bus , volentes expressius prouidere , vniuersis cu-  
stodibus , sacristis , ecclesiarum rectoribus præcipi-  
mus , quatenus omnia vestimenta , ornamenta &  
vasa supradicta , per ipsos munda & nitida , & præ-  
cipue ecclesiastica sacramenta sub clausura & fida  
custodia conseruentur. Si quis vero in transgres-  
sione huiusmodi statuti culpabilis fuerit , vsque ad  
condignam satisfactionem ab officio suspenda-  
tur.

VIII.

Quia religiosos, præcipue fratres mendicantes, decet puritatem omnimodam in suis actibus obseruare; quoniam tamen saepe diuagandi & dissolutionis materiam mutuantur, scandalum aliorum, & tamquam pseudoprophetæ fabulosis prædicationibus audientium animos plerumque seducunt; & quamquam inuitis ipsarum ecclesiarum rectoribus, ipsi fratres, nisi per eosdem rectores vocati vel inuitati ad hoc fuerint, de iure non audeant nec debeant prædicare: volumus tamen, quod nequaquam dicti rectores ipsos inuitent vel admittant, nisi de proponendo verbum Dei a suis superioribus licentiam habeant, & de illa saepe dictis rectoribus faciant plenam fidem. In ciuitatibus vero & dioecesi, in quibus ipsorum fratrum loca consistunt, ac in locis vicinis, nullatenus ad dictum officium prædicandi, vel ad audiendas confessio-

URBANVS SALTZBURGENSE. VVENCESLAVS IMP. 155  
P.VI.

ANNO  
CHRISTI  
1386.  
nes admittantur , nisi \* locis dicecesanis canonice  
præsentati fuerint prius & admissi.  
\* f. loco-  
rum

I X.

Cum ecclesiæ & ecclesiasticæ personæ , ac res  
ipsorum non solum iure ciuili , quinimo & cano-  
nico & diuino, sæcularium personarum talliis , col-  
lectis & exactionibus sint immunes , nonnulli ta-  
men ecclesiasticæ libertatis & immunitatis æmuli ,  
huiusmodi libertatem offendere moluntur. Nos  
igitur ipsorum ausus , quantum possumus , repre-  
mere cupientes , statutum domini Ioannis episco-  
pi Tusculani , apostolicæ sedis legati , qui inuafos-  
res & occupatores & detentores ecclesiasticorum  
bonorum , vel dantes in his auxilium , consilium ,  
vel fauorem , si postquam per ecclesiarum præla-  
tos vel rectores requisiti fuerint , infra mensem non  
destiterint , vel de damnis datis non satisfecerint ,  
extunc subiicit ecclesiastico interdicto , ad huius-  
modi exæctores , collectores & tallicitores decla-  
ramus extendi , vt extendimus sanctionem præ-  
sentem , omnibus ecclesiarum prælatis & recto-  
ribus , sub excommunicationis pœna , districte  
præcipientes , quatenus huiusmodi statuta inuio-  
labiliter obseruent , ac nihilo minus singulis annis  
ter in suis ecclesiis fideli populo studeant publi-  
care.

X.

Multi in profundum malorum venientes , adeo  
ecclesiæ claves & ecclesiasticæ censuræ senten-  
tias vilipendendo contemnunt , quod tam incor-  
rigibiles plerique talium facti in suæ damnatio-

*Concil. Tom. 29.*

V ij

nis periculum, in huiusmodi sententiis moriuntur. ANNO  
CHRISTI  
1386.  
Quare statutum domini Friderici prædecessoris nostri, quod sententias per vnum vel plures prælatos per omnes ciuitates & diceceses mandat.

Tales sententias publicari per ecclesiarum prælatos \* obseruari præcipimus, ut sic malignorum peruersitatibus obuietur. \* f. & ob-  
seruari

## X I.

Constitutiones felicis recordationis Bonifacii papæ VIII. editas contra eos qui ab ecclesiis & ecclesiasticis personis, pro earum rebus propriis, quas non negotiandi causa deferunt, vel deferri faciunt vel transmittunt, suo vel alieno nomine pedagia vel quidagia exigunt vel extorquent: eosque qui in his culpabiles fuerint, si personæ sint singulares, excommunicationis; si vero collegium, ciuitatem, vel castrum, vel locum alterius concernit, interdicti sententiæ subiacere per locorum ordinarios, prælatos & archidiaconos ac parochialium ecclesiarum rectores præcipimus solenniter publicari, quemadmodum etiam in Viennensi Concilio est prouide constitutum.

## X II.

Omnibus volumus esse notum, quod tam episcopi, quam alii ecclesiarum prælati, & quæcumque aliæ ecclesiasticæ personæ, qui bona vacantium dignitatum & ecclesiarum quarumcumque sibi subiectarum, seu ad collationem vel præsentationem eorumdem pertinentium, occupant, rapiunt, aut usurpant, vel in suos usus vertunt, ipsi episcopi ab ingressu ecclesiæ; inferiores vero ab officio & be-

ANNO CHRISTI 1586. neficio de iure sint suspensi, donec de occupatis satisfaciant cum effectu : laici vero, siue iudices fuerint, aut ecclesiarum patroni, bona huiusmodi rapientes vel usurpantes, iuxta statutum felicis recordationis domini Friderici prædecessoris nostri, eo ipso sententiam excommunicationis incurvant: in locis vero ad quæ eadem bona delata fuerint, postquam hoc rectoribus ecclésiarum innotuerit, iuxta eiusdem statuti tenorem tam diu cesserunt a diuinis, donec de ablatis congrue fuerit satisfactum.

XIII.

Apud multos ita crimen usurarum inualuit, quod nonnulli nullis negotiationibus vel laboribus student intendere, putantes sibi ex hoc licere, quod prælati, vel alii ecclesiarum rectores in animalium suarum periculum negligunt id corrigere, ac per hoc in maioris damnationis laqueum se immergunt. Nos igitur recolendæ memoriae domini Ioannis Tusculani episcopi, legati sedis apostolicæ, ac aliorum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, qui crimen huiusmodi fuerint specialiter detestati, decernimus eosdem usurarios, postquam per suos rectores tria monitione nominatim moniti fuerint, & infra mensem ipsi ab eadem prauitate non destiterint, eo ipso excommunicationis sententiæ subiacere. Quapropter singulis ecclesiarum prælatis ac rectoribus districte præcipimus, vt omnes manifestos usurarios moneant & inducant, quatenus ab huiusmodi prauitate infra vnius mensis spatium current

studiosē desistere , ac de perceptis satisfacere cum  
effectu . Quod si non fecerint , extunc excom-  
municati publice nuntientur . Certificantur nihilo  
minus , quod si in hoc crimine sine satisfactione ca-  
nonica cautioni desatisfaciendo decesserint , Chri-  
stiana careant sepultura . Ipsi quoque rectores , &  
scienter sepelientes eosdem , simili de iure excom-  
municationis sententia sint ligati . Declaramus insu-  
per manifestos usurarios esse , de quibus est publica  
vox & fama , & certa sunt indicia & argumenta ,  
quod pecunias mutuant ad usururas , easque recipiunt ,  
vel fructus rei pignoratae ex pacto vel alias sibi usur-  
pant , vel imbursant , nec computant in sortem  
pecuniae pignoratae .

XIV.

Sæpe contingit , quod nedum laici , sed ecclesiastarum prælati & alii clerici ( quod dolentes referimus) alius alium ad sæcularia trahunt iudicia contra canonicas & legitimas sanctiones : ex quo non modicum ecclesiasticæ libertati detrahitur , ac ecclesiæ plerumque in suis iuribus & libertatibus grandia dispendia patiuntur. Nos volentes his malis , quantum possumus , obuiare , decernimus , quod si prælatus , vel quiuis alias clericus , alium prælatum vel clericum , vel etiam laicus quamcumque aliam ecclesiasticam personam coram sæculari iudice trahere vel conuenire , aut tractus seu conuentus sponte & judicialiter præsumperit respondere , tam trahentes , quam tracti , vltra poenas contra tales a iure prolatas , eo ipso se nouerint excommunicationis sententiæ subiacere.

X V.

Firmiter inhibemus , ne presbyteri peregrini vel ignoti ad Missarum solennia celebranda in publico admittantur, nisi per literas testimoniales , vel canonice de ipsorum ordinatione ecclesiarum prælatis & rectoribus fiat fides.

X VI.

Placuit nostro sancto Concilio , vt nullus se notarium publicum asserens , in officio tabellionatus aliquatenus admittatur , nec credatur eius instrumento , nisi coram loci ordinario vel eius officiali de suo officio faciat plenam fidem , cum sæpe ex notariis incognitis & imperitis grandia pericula soleant prouenire.

X VII.

Dudum fuit in nostra prouincia constitutum , vt episcopi suffraganei omnes prouinciales constitutiones habeant sigillatim , easque suis subditis , sicut iuris est , studeant publicare. Verum , quia huiusmodi statutum fructum modicum hucusque produxit : Nos igitur illud ampliare , & poenæ adiectione vallare volentes , ne ipsarum ignorantiam ipsi vel subditi prætendere valeant , vel quoslibet allegare , statuimus , & districte præcipiendo mandamus , quatenus omnes & singuli ecclesiarum prælati , archidiaconi ac parochi , ecclesiarum rectores , tam legatorum sedis apostolicæ , quam nostras & prædecessorum nostrorum constitutiones scriptas habeant , quas non habentibus de nostra cancellaria præcepimus exhiberi , sub potentium tamen sumptibus & expensis. Quod si

160 VERBANVS CONCILIVM VVENCESLAVS IMP.  
P. VI. IOANNES I. R. CASTELLÆ.

ipſi prælati & archidiaconi infra sex mensium ſpa-  
tium a data præſentium, rationabili cauſa ceſſante,  
ipſas per ſe vel alios non receperint, ſeu habuerint,  
ipſos & quemlibet ipſorum, qui in hoc negligens  
vel remiſſus fuerit, eo ipſo ab ingressu ecclesiæ ſu-  
pendimus, donec a ſuo ſuperiore abſolutionis be-  
neſtium meruerit obtinere.

ANNO  
CHRISTI  
1386.

Acta ſunt hæc Saltzburgi in noſtro archiepifcopali  
palatio anno Domini MCCCCLXXXVI. pontificatus fan-  
ctissimi in Christo patris & domini, domini Urbani di-  
uina prouidentia papæ VI. anno VIII. mense Ianuario.

## CONCILIVM PALENTINVM

ANNO  
CHRISTI  
1388.

SVB PRÆSIDIO PETRI DE LVNA ANTICARDINALIS  
in Hispania, (quæ adhuc iſto tempore Clementi anti-  
papæ adhaerēſcebat) celebratum, anno Domini MCCC-  
LXXXVIII. tempore Urbani papæ VI.

### TITVL CI CAPITVLORVM.

- |                                                |                                       |
|------------------------------------------------|---------------------------------------|
| I. De officio ordinarii.                       | IV. De rebus ecclesiæ non alienandis. |
| II. De cohabitatione clericorum &<br>mulierum. | V. De Iudeis & Saracenis.             |
| III. De clericis coniugatis.                   | VI. De feriis perinfideles colendis.  |
|                                                | VII. De adulteriis.                   |

### PRAEFATIO.

Hæ ſunt conſtitutiones reuerendissimi in Christo patris  
ac domini, domini Petri de Luna sanctæ Mariæ in  
Cosmedin ſacræ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis, in  
Hispaniarum partibus apostolicæ ſedis legati, vulga-  
riter cardinalis de Aragonia, vel de Luna nuncupati.

Petrus miseratione diuina sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconus  
cardinalis, apostolicæ ſedis legatus, ad perpetuam  
rei memoriam.

QVIA diſponente patre lumen ex iniuncto nobis  
legationis officio curam gerimus cleri & populi Hi-  
spaniarum, circa illa attentis ſtudiis ac ſtudioſis affecti-  
bus